

V 6  
269



~~IV 37 37.~~ QK. 4, 3<sup>m</sup>

ORATIO  
SEBASTIANI THEO  
DORI VVINSHEMII RE

citata, cum decerneretur gra  
dus Magisterij Philoso  
phici, aliquot hone  
stis uiris.

Anno 1553.

Adiuncta est & Oratio Iohannis  
Homilij, de Regione &  
gente Mysorum.

Item quaestio de adpellatione  
Siloh, ex cap. 49. Gen:  
Et alia quaestio  
de Anno.

VVITEBERGAE.

V b  
269



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



# ORATIO SEBASTIANI

Theodori VVinsheimij recitata

cum decerneretur gra-  
dus Magisterij &c.



VM doctrinae studia  
colenda sint, non tan-  
tum ut sint usui uitae,  
ac ornamento tran-  
quillis temporibus.  
Sed etiam ut in ma-  
gnis doloribus osten-  
dant ueras cōsolationes diuinitus pro-  
positas, & erigant animos, non omi-  
simus has scholasticas operas, quan-  
quam magno in luctu sumus. Aetali  
tempore maxime salutare est, & de  
causis humanarum calamitatum, & de  
Remedijs cogitare, & conferre do-  
ctrinas, quas causas, quæ Remedia  
monstrent Philosophia, & altera ma-  
ior Sapiencia, quam filius Dei ex sinu  
æterni Patris protulit, quæ uerè est  
sacra ancora, qua inter tam sæuas tem-  
pestates, animi firmitas & constantia

A ij retineat

retinetur. Ac de causis horribilium  
confusionum in imperijs omnino uer-  
rum est, quod inquit Demosthenes,  
ὅτι παρὰ ἐμ οὐδὲ δὴ τὰ πράγματα εἰς τὸτο  
ἀφικται. Philosophi quærunt fatales  
causas, & disputant periodos esse con-  
stitutatas & gentibus & urbibus.

Sed Ecclesiæ doctrina adfirmat ho-  
minum sceleribus attrahi pœnas. Et  
tamen has mitigari à filio Dei propter  
Ecclesiam, & hanc inter Imperiorum  
ruinas seruari, ac iubet nos hac erectos  
consolatione, nō abiicere labores Ec-  
clesiæ & communi societati necessari-  
os, Promittit etiam his, qui ueris ge-  
mitibus Deum inuocant, & modeste  
gubernant mores, mitigationem pu-  
blicarum calamitatū, Imo, in hoc ipso  
coetu mœsto & ærumnoso, inuocante  
ipsum, uelut in templo suo habitatu-  
rum esse Deum, inquit. Quid ad con-  
solationem dulcius dici potest? Te igi-  
tur æterne Deus, Pater domini nostri  
Iesu Christi, Conditor cœli & terræ,  
et hominum, ueris gemitibus oramus,  
ut nos

ut nos gubernes, & in nobis habites,  
& hæc studia & discentium coetus pro-  
tegas.

Cum autem in hoc publico con-  
gressu aliquid dicendum esset, & hoc  
ipso tempore Vir doctissimus Paulus  
Eberus Anatomicam doctrinam pro-  
ponere ceperit, de qua me deditum ar-  
ti Medicæ, cogitare sæpe necesse est,  
omissis alijs argumentis, censui adhor-  
tationem instituendam esse, ut in plu-  
ribus accenderem doctrinæ Anato-  
micæ studium, utile non solum ad  
ualetudinem tuendam, & ad morbos  
depellendos, sed etiam ad regendos  
mores, ad agnitionem Dei, & ad in-  
telligendam Ecclesiæ doctrinam. Ru-  
dis ætas ne potest quidem harum uti-  
litarum magnitudinem cernere, sed à  
nobis bonæ mentes commonefacien-  
dæ & exuscitandæ sunt, ut eas adspici-  
ant, & hanc doctrinam discant. Ac  
speramus has nostras paternas & fide-  
lissimas admonitiões & profuisse mul-  
tis, & adhuc prodesse. Quare eas sæpe

A iij      repeti-

repetimus, etiamsi qui adeo feri sunt,  
ut hanc dulcissimam doctrinam ne gu-  
stare quidem uelint. Alloquor autem  
non monstrosas naturas, sed tales, in  
quibus aliqua sunt uirtutum semina, et  
in quibus lucet scintilla monstrans di-  
scrimen honestarum rerum, & turpiū.  
Vos igitur honesti adolescentes om-  
nes adhortor & obtestor, ut initia do-  
ctrinæ Anatomicae, quæ uobis non  
fordide traduntur, studiose discatis.

Quod enim aliqui putant, hunc  
laborem ad solos Medicos pertinere,  
hunc errorem taxari necesse est. Me-  
dico opus est perfectiore cognitione,  
quam alijs hominibus. Interea necesse  
est omnes homines aliquo modo cor-  
poris sui ædificium nosse. Quas ob  
causas?

Multum ualet mediocris diligen-  
tia in uictu, et moderandis uoluptatib.  
ad tuendam ualetudinem, et ad depel-  
lenda initia seuiſsimorum morborum.  
Ad hanc diligentiam necesse est sin-  
gulos



gulos aliquo modo nosse sua membra,  
humores, κρᾶσις, membrorum positū,  
& humorum canales, Eligenda sunt  
conuenientia, fugienda contraria.

Quoties accidit ut laborent homi-  
nes insomniam propter cruditatem, his  
dare frigida soporifera, perniciosum  
est. Quoties subitæ obstructions  
mediocri exercitio, aut tensione laxari  
possunt, si quis meatus non ignoret.  
Denic̄q; multi magni morbi initio me-  
diocri obseruatione depelli possunt,  
qui confirmati, postea non possunt  
ope medica tolli.

Grauis igitur causa est tuendę cura  
ualetudinis, cur hæc initia Anatomica  
discenda sint. Et præcipit Deus, non  
solum tueri corporis incolumitatem,  
sed etiam honorem habere corpori,  
Quia & ars in fabricatione testimoni-  
um est de Deo opifice, & nostra mem-  
bra sunt organa multarum diuinarum  
actionum.

Sed considerate & alias causas,  
A iiij      Necessæ

Neceſſe eſt in gubernatione morum,  
ſcire diſcrimen noticiarum et motuum  
voluntatis & cordis. Item instrumen-  
ta motus localis. Harum rerum nihil  
intelligi poteſt, ſi non ſint nota mem-  
bra humani corporis. Noticiæ quas  
uult Deus eſſe reſtrices uitæ, ſunt in  
cerebro, quod uibratum et illuſtratum  
à ſpiritibus format imagines. Ex hac  
ſede ſapientiæ naſcuntur Nerui, qui  
& ſenſuũ organa ſunt, & motus loca-  
lis, ac imperio cogitantis partis libere  
reguntur organa motus localis. Hanc  
libertatem uult Deus in nobis reliquã  
eſſe, ut ſit in natura hominum dele-  
ctus, & externæ actiones ad legem di-  
uinam congruere, & ad utilitatem mu-  
tuam accõmodari poſſint. Denic̃q; ut  
ſit in nobis intellectus Libertatis, &  
ſciamus Deum eſſe agens liberrimum.

In corde, quod fons eſt uitæ, ſunt  
motus mirifici, qui nominantur adfe-  
ctus, qui aut ſunt uitæ ſalutares, ut  
Læticia, aut ſunt ſupplicia, ut mœro-  
res.

res. Ac debebat talis esse concordia  
cerebri & cordis, ut semper cum noti-  
cijs honestis congruerent motus cor-  
dis. Sed hic cernimus triste dissidium.  
Nam mala incendia cordis nō semper  
extinguere noticiæ possunt. Non .n.  
sic dominantur noticiæ cordi, sicut  
neruis cientibus motum localem. Hęc  
discrimina non intelligi possunt, sine  
doctrina Anatomica. Prodest autem  
moribus scire quæ pars quomodo gu-  
bernari & frenari possit. Deinde illu-  
strior fit lectio in scriptis diuinis & a-  
lijs, cum loca & membra singularum  
actionum distinguere possumus.

Tristis querelæ est apud Paulum,  
cum ait, Talem esse naturæ humanæ  
prauitatem, ut ueritatem Dei, id est,  
noticiam Dei & legum, teneant ho-  
mines captiuam in iniusticia. Hic quid  
intelligi potest, nisi distinguas notici-  
as & adfectus, Et fit illustris distinctio  
cum loca monstrantur. Noticia Legis  
est in cerebro, sed in corde sunt incen-  
dia contraria ante delictum, Vt Alex-

A v      ander

ander iratus Clytum interficit, etsi scit  
scelus esse interficere innocentem, &  
quidem amicum, & bene meritum.

Rursus autem congruunt Noticia  
& Cor post perpetratum scelus. Nam  
Alexander in summo mœrore est,  
postquam fecit cædem. Hic attente  
considerandum est consilium Dei,  
quare hūc ordinem ita sanxerit Deus.

Causa hæc est, Leges omnes obli-  
gant, uel ad obedientiam uel ad pœ-  
nam. Postquam igitur corda humana  
non præstant obedientiam noticijs di-  
uinis in facto, post scelus pœnam sus-  
tinent, Et ut Lex rata sit, & ut nos in-  
telligamus has noticias esse diuinas.

Quam multa passim leguntur, quo-  
rum enarrationi magnam lucem addit  
doctrina Anatomica.

Discite à me, inquit DOMINVS,  
Quia mitis sum & humilis corde. In ea  
parte hominis quæ nominatur *Superior*,  
uidelicet, in corde, duo sunt turbulen-  
tissimi, & feuissimi adfectus IRA &  
Ambitio.

**AMBITIO.** Hi & facile accenduntur in magnis uiris, & accensi late turbant imperia & uitam communem.

Saul uritur ambitione, & dolet sibi & filio suo uiro fortissimo anteferri Tyronem suum, Et ardens cupiditate uindictæ simul irascitur multis alijs, interficit Sacerdotes & totas eorum familias.

Bella ciuilia mota a Sylla, Mario, Pompeio, Iulio orta sunt ab ambitione & a domesticis odijs. Denique nulla ætas caret exemplis. Ac similia fiunt in Ecclesia omnibus temporibus.

Arium aiunt dolore repulsæ cum non esset factus Episcopus, motum esse, ut nouo dogmate sparso, Episcopi auctoritatem labefactaret.

Monetarium hæc furia incitabant aduersus Lutherum, quia eius gloria urebatur, & similem celebritatem in populo adpetebat.

Hæc ita fieri manifestum est, & uetera Poemata narrant, ut inquit Poeta  
Patriam

Patriam tamen obruit olim.  
Gloria paucorum, Laudis tituliq; cu-  
(pido.

Has igitur pestes, iniustam iracun-  
diam, ambitionem, cupiditatem uin-  
dictæ, uult abesse filius Dei, cum à cæ-  
teris omnibus, tum uero precipue à  
gubernatoribus Ecclesiæ, & sese pro-  
ponit nobis intuendum. In ipso man-  
suetudo summa est, Nemini iniuste  
irascitur. Et ijs, quibus iustissime fuit  
iratus, cum petunt ueniam, & dolent  
se lapsos esse, parcit & eos clementer  
recipit, & seruat, ac pœnas præsentis  
mitigar.

Nec sibi ipsi dissimilis est, sine προ-  
σωποληψία omnium sceleribus irascitur.  
Rursus omnibus confugientibus ad  
ipsum fit propicius. Ita & iustus est, &  
misericors. A superbia uero sic abest,  
ut cum missus sit, ut fiat uictima pro  
genere humano, non erumpat extra  
vocationem suam, non adpetat impe-  
ria, potentiam, splendorem, non de-  
pellat iniurias, cum id facillime facere  
posset,

posset, sed perferat eas, Quia scit se  
nō esse armatum imperijs, sed missum  
esse, ut sit *λυτρον* pro genere humano.  
In hoc suo munere reuerenter obtem-  
perat æterno Patri, ac ita se abiicit in-  
fra omnes homines, ut iram in sese de-  
riuet aduersus singulorū scelera. Meo  
& tuo loco pœnam sustinet, ut mihi &  
tibi parcat, ut abiicit se ancilla infra  
Dominam, offerens se supplicio pro  
ea. Ac fuit harum uirtutum perfectio  
in corde filij Dei, hoc est, flagrabat  
Spiritus sanctus in toto corde, permix-  
tus massæ & halitibus cordis, quod  
sine labe & sine contumacia erat.

Ac in alijs hominibus etiã si qui fre-  
nant iniustam iram, tamen in corde  
sunt incendia iniusta. Sed aliud est ad-  
ditus nobis custos, cogitatio quæ in  
cerebro est, imperare potest neruis,  
seu potentia quæ regit motus Loca-  
les, ut externa membra coherceat,  
Vt Achillem retrahit Pallas, id est, co-  
gitatio, ne manus gladium stringant.  
Interea

Interea tamen cor eius ingenti ira ad-  
uersus Agamemnonem ardet, et æstu-  
antem sanguinem incendit ac spargit.

In his descriptionibus, cum nota  
sunt membrorum discrimina, fit illu-  
strior enarratio, & discimus quæ par-  
tes, quomodo & possint & debeant  
regi. Sunt enim duæ formæ guber-  
nationis. Altera πολιτικὴ quæ suaden-  
do flectit voluntates, Altera δεσποτικὴ,  
quæ cogit etiam inuitos & repugnan-  
tes. Hac forma δεσποτικὴ, utcunq; re-  
git cogitatio neruos, etiamsi cordis  
æstus nondum suadendo sedauit.

Hanc ueram & uetustissimam do-  
ctrinam de diuersis membrorum na-  
turis, Ecclesiæ & communi uitæ ne-  
cessariam esse, omnes fateri cogun-  
tur.

Iam et hæc considera. Indidit Deus  
homini simulacra quædam, quæ nos  
de ipso commonefacerent, et vocabu-  
lis nostris utitur, cum sese nominat.  
Filius dicitur λόγος æterni Patris, Et à  
Patre



Patre & Filio procedit Spiritus sanctus. His vocabulis cum utitur vox diuina, sumenda est interpretatio ex membrorum nostrorum consideratione.

In cerebro formantur imagines cogitando. Ita æternus Pater sese intus ens, & cogitans, gignit imaginem in qua fulget, quæ est λόγος. Et hic ipse λόγος postea nos alloquens Patrem ostendit.

Sunt autem in homine spiritus flammulæ natæ et accensæ in corde, quibus & calefiunt omnia membra, & cientur adfectus & motus. Inde vocabulum Spiritus, utcuñq; declaretur in Ecclesia λόγος accendit noticiam, Spiritus sanctus, flamma est diuina in cordibus exuscitans læticiam, amorem Dei, fortitudinem in faciendis omnibus & perferendis, quæ Deus uult fieri aut tolerari.

Hic ipse Spiritus diuinus permiscet se flammis in tuo corde natis, & addit eis uiuificum calorem & salutares motus.

Hæc

Hæc beneficia Dei agnoscenda sunt, & gratissimis pectoribus celebranda, & summa cura retinenda, de quibus cum cogitamus, certe adspici nostra membra oportet. Et multa nos docet hæc qualiscunq; consideratio.

Sunt & aliæ utilitates doctrinæ Anatomicae. Ordo in tota natura rerum, cœli & terræ forma, & positus, uices motuum & temporum, fecunditas terræ, ostendunt hunc mundum non casu ex Democriti atomis confluisse, sed esse mentem Architectatricem, quæ consulto & arte formauit omnia opera. Manifestum est autem plurimum esse artis in ædificio humani corporis. Deinde hæc sunt maxime perspicua testimonia de Deo, quod in cerebro noticiæ sunt numerorum et ordinis, & æterna distinctio honestorum & turpium, & in corde immutabilis vindex & carnifex, dolor puniens scelera. Hæc non sunt casu orta, Nec possibile est naturas intelligentes  
à brutis

à bruta ortas esse. Necesse est igitur fa-  
teri & esse Deum mentem conditri-  
cem rerum, & esse talem, Veracem,  
Beneficum, Iustum, Castum, qualem  
transfusis in nos uirtutū noticijs, esse  
se ostendit. Cogitate quæso de quan-  
tis rebus insitæ sint nobis illustres com-  
monefactiones, quæ se offerunt ocu-  
lis nostris, cum membra & eorum of-  
ficia contemplamur.

Postremo in hac consideratiōe uul-  
nera etiā nostra deploremus, Dolea-  
mus nostris peccatis hāc pulcherrimā  
humani corporis machinā, ita langue-  
factam esse, ut morti sit obnoxia. Do-  
leamus quotidianis sceleribus multos  
sibi ipsis & alijs uim adferre, & lacera-  
re corpora arte diuina condita. Dole-  
amus nos amisisse lucem & cordis re-  
ctitudinem, quæ initio nobis attributa  
fuit, & quæramus Medicum ciuem  
illum Samaritanum, qui uino lauat  
faucij uiatoris uulnera, & deinde in ea  
Balsamum infundit, & gestat agrum  
B suis

ſuis humeris , & petamus ut hic filius  
Dei, quem in Samariæ campo uidit Ia-  
cob ſtantem in ſcala, opem nobis ferat,  
& nos geſtet ſuis humeris , cum ideo  
maſſam noſtri corporis ſibi copularit,  
ne reliqua maſſa funditus deleretur,  
iamq̃ nos geſtat, ſicut ipſe inquit, ue-  
lut paſtor agnos recens editos in cam-  
po, collocat in gremium, donec in  
ouile uentum eſt.

Huic Medico noſtro etiam hunc  
honorem tribuamus, ut cum corpus  
ſimile noſtro adſumpſerit, artem cor-  
poris humani, quod ſingulare Dei do-  
micilium eſt, diligentius contemple-  
mur. Has cauſas diſcendæ doctrinæ  
Anatomicæ ſæpe cogitate, nec par-  
tem hanc Phyſicę utiliſſimam & dul-  
ciſſimam negligite. Sæpe etiam hæc  
ipſa teſtimonia de Deo nobis impres-  
ſa, & commonefactiones diuinas in  
ipſa arte corporum pictas adſpicite,  
& ſimul cogitate uelle Deum in cor-  
poribus ueſtris, tanquam in domicilio  
& templo ſuo habitare, Quare mem-  
bris

bris omnibus reuerenter & pie utamini,  
ni, & grata prædicatione Deum con-  
ditorem celebretis, & petatis ut pro-  
tegat & gubernet corpora uestra, & in  
vobis habitet, ut λόγος ostendat vobis  
eternum Patrem, & Spiritus sanctus  
permisceatur uestris halitibus, & corda  
renouet, & præbeat vobis salutare  
motus. Hæc vota nequaquam irrita  
esse putate.

Te igitur fili Dei domine Iesu Chri-  
ste, crucifixe pro nobis & resuscitate,  
qui induisti corpus humanum, & te  
nobis ostendisti, ut sciremus quomo-  
do alloqui Deum possimus, oro, ut  
hanc Ecclesiam, & Academiam pro-  
tegas & gubernes, & nos omnes faci-  
as uasa misericordiæ & organa sa-  
lutaria nobis & alijs, & semper  
in his Regionibus colligas  
Ecclesiam, & tribuas eis  
salutarem guber-  
nationem.

DIXI.

B ij ORATIO

# ORATIO

IOHANNIS HOMILIIDO  
centis Mathemata in inclyta Aca-  
demia Lipsica, de Regione  
& gente Mysorum.



V M hunc honestis-  
simum coetum intus  
ens anni superioris  
terribiles & panicos  
motus recordor, toto  
pectore gratias ago  
filio Dei, domino no-  
stro Iesu Christo, qui est custos & um-  
braculum Ecclesiae, quod clementer  
his regionibus pacem tribuit, & Aca-  
demiam & haec doctrinae studia non  
deleri sinit, ac ardentibus votis eum oro,  
ut deinceps quoque nos protegat & gu-  
bernet. Honestissima uero consuetu-  
do est, in his congressibus aliquid di-  
cere, quod discipulorum studiis & mo-  
ribus proferat. Ac optarim has partes di-  
cendi attributas esse homini facundo  
& eru-

& erudito, qui plus & facultatis & auctoritatis in hunc locum adferret. Scitis enim me hominem Geometram, in alio doctrinae genere uersari.

Sed quia graui consilio pluribus hic dicendi locus tribuitur, & me iustum est legibus obtemperare, peto ut sicut consueuistis, pro uestra comitate, me patienter audiatis. Ego etiam conscius mihi infirmitatis meae, argumentum elegi, cuius cogitationem sciebam uobis uoluptati fore, etiamsi a me pro dignitate ornari non possit.

Cum hoc triennio hanc regionem Mysorum, sic .n. recte nominari existimo, ut postea dicam, peruagatus sim, & studiose situm, urbes, hominum ingenia, mores, doctrinam, Ecclesias, ciuitatum disciplinam, artes, uenas metallicas, agros, gubernationis formam contemplatus sim, decreui mecum pieturam aliquando huius regionis edere, ac doleo non multo ante ab Apiano editam esse, qui & patriae hoc officio

B iij cium

ciūm debuit, & hortatorem ad hoc o-  
pus habuit principem, cuius autoritas  
erat grauiſſima, Ducem Saxonix Ge-  
orgium. Nam ego quidem nondum  
latus meridianum totum uidi. Sed ta-  
men multæ cauſæ meam cupiditatem  
accenderunt. Delectatus ſum naturæ  
uarietate in his locis, ciuitatum disci-  
plina, hominum moderatione & mun-  
dicie, frequentia eruditorum. Deinde  
& gratitudinem me huic genti debere  
ſtatuo, quæ mihi inter honeſtiſſimos  
& eruditiſſimos uiros, poſt longas &  
moleſtas peregrinationes, non modo  
domicilium, ſed etiam locum in Aca-  
demia has dulciſſimas artes, quæ pacis  
ornamenta ſunt, docendi præbet.

In hac cogitatione cum hoc tem-  
pore uerſarer, & iam primas lineas hu-  
ius Chorographix ducere cepiſſem,  
nec intendere animum in aliud argu-  
mentum poſſem, ſcripſi etiam aliquid  
de hac regione, quod hoc loco recito,  
& ut hic quoq; ſignificatiōem gratitua-  
dinis



dinis meæ ostendam, & ut ab auditoribus peritis admonear, sicubi à situ regionis descriptio mea aberrat.

Iudico autem hoc Argumentum & iunioribus utile esse. Est enim pars eruditionis, nosse uetustas gentes & honesta exempla. Et magna uirtus est, amare patriam & eius tranquillitatem omni officio tueri. Hanc uirtutem accendit consideratio pulcherrimorum ornamentorum, propter quæ patria quam natura diligimus, bonis mentibus fit multo carior. Ac præcipuè ad hunc finem refero hanc orationem, ut in iunioribus erga patriam pietas alatur & confirmetur.

Primum autem ut exteri situm scire possint, figuram & metas regionis indicabimus. **MYSIA** quæ in Germania iam annis amplius octingentis sic nominatur, trianguli figura est, cuius ad meridiem basis est longa, iuga montium qui Sudetes à Ptolemæo nominantur, quibus Bohemia dirigitur

B iij                      mitur

mitur à Mysia. Suntq; in extremis oris  
Basis duo insignia oppida, Birna &  
Plawen. Latus à Birna orientale sine  
ulla dubitatione est Albis. Latus uero  
ad occasum à Plawen est fluuius Pica,  
à quo græcum nomen est urbi Cittæ,  
unde Pica Lipsiam præterfluens, non  
procul à ueteri Imperatorum arce  
Mersburg in Salam infunditur, ut sit  
non procul inde trianguli cacumen  
ubi Sala in Albim infunditur, consti-  
tuamus enim historico more tanq; li-  
mites conspicuos, & durabiles. Cum  
autem celebratissimum flumen sit Al-  
bis, qua in parte orbis terrarum sit hæc  
regio Myforum, exteri etiam scire possunt.

Sed ut propius aspici situs possit,  
hec quoq; addo, Lipsia que nō procul  
abest à trianguli uertice gradus habet  
longitudinis 30. m. 58. Latitudinis  
uero unum & quinquaginta m. 44.  
Hæc spacia & doctis indicant, in qua  
parte mundi hæc regio sita sit.

In hoc autem triangulo ad Basin  
&

& ad Albim, Hermunduros magnam partem tenuisse ex historijs intelligi potest, quos fuisse Germanicam nationem appellatio indicat, cuius etymologia nō obscura est. Et scribit Cornelius Tacitus in Hermunduris plus fuisse disciplinæ ciuilibis & artium, quam apud cæteros Germanos, & cum Romanis societatem eos & fœdera fecisse. Ad occasum Tubanti fuerunt fortassis propter subterraneos ignes & copiosas ferri uenas à Typhoeo dicti. Ad trianguli *κορυφήν* Calucones fuerunt. Ac ut metæ agnosci melius possint, addo de uicinis, post cacumen trianguli ad Albim duæ celebratissimæ gentes, sedes tenuerunt. In ripa occidentali fuerunt Longobardi à Salinis ad Parthenopen & fere ad Brunsvigam usq̃, In ripa orientali Senones fuerunt, ubi nunc uetus Marchia est.

Postquam autem Romanæ Monarchiæ fatalis perïodus circumacta est, & multæ gentes aliq̃ alijs de causis

B v      progressæ

progressæ novas sedes quæsierunt :  
Franci & Burgundi in Galliam transie-  
erunt, Gothi in Pannoniam et Italiam,  
Heneti à Vistula & Carpatho in Ger-  
maniam, certissimum est Henetos oc-  
cupasse Bohemiam & Elysiam, quæ  
nunc Silesia est, & alia uicina loca.

Eo tempore & Mysos, seu uicinos  
Henetorum, seu partem confedisse,  
in hoc amœnissimo triangulo consen-  
taneum est. Visitatum est enim conie-  
cturam facere de originibus gentium  
ex lingua & nomine. Venisse autem  
in Bohemiam & in hæc loca peregrina-  
nam gentem lingua ostendit. Cumq̃  
fuerint Myli gens magna & in Asia  
littus ad Hellespontum, & in Europa  
magnam oram, quæ nunc est Mulda-  
uia, Bosna, Rascia & Seruia tenuerint,  
& res magnas gesserint, fuit eorum  
nomen clarissimum. Quare non facile  
deberi potuit. Cumq̃ nusquam alibi  
reliquum sit, nisi in hoc triangulo, cre-  
dibile

dibile est novos illos hospites Germanis permixtos, & fuisse mysos, & uetustam appellationem retinere uoluisse. Ac ut antea uicini eis Tyrigetæ fuerunt, & ultra hos Sacæ, ita eodem tempore gentes illæ unde sunt Turingi & Saxones, in uicinia ad Salam & ad Albin confederunt.

Cum autem fuerit excellens uirtus illius uetustæ gentis Mysorum, decus aliquod est, ab hac stirpe ortos esse. Tribuit enim ueteribus Mysis Homerus tres uirtutes, quæ sunt præcipue in hac hominum societate, & fontes sunt aliarum. Ait enim esse Mysos hominum iustissimos. Scitis autem primam esse uirtutem iusticiam, quæ quidem magnam sapientiam & multas alias uirtutes completitur. Necesse est enim iustos intelligere discrimen honestorum & turpium, quod cum considerant, fontem esse Deum agnoscunt, & intelligunt  
Deum

Deum hunc radium sapientiae suae in homines transfudisse, et uindicem esse scelerum, intelligunt igitur ei obediendum esse, iuxta hoc discrimen honestorum & turpium. Iam haec sapientia multarum magnarum rerum doctrinam continet. Hinc igitur orta iusticia est, Deum recte agnoscere, & ei obedire iuxta discrimen honestorum & turpium, & propter Deum fouere communem consociationem, neminem laedere, uitare & punire scelera. Ex hoc fonte oriuntur Veritas, Fides in pactis, Beneficentia, Gratitude, gradus in Imperijs, & ordinis conseruatio.

Deinde inquit Homerus, Mysos praeliatores esse, Videtis sapienter fortitudinem adiunctam esse iusticiae. Quia gubernationem iustam necesse est arma tenere, & ui cohercere ac punire domi contumaces ciues, & foris depellere latrocinia. Propter has causas scitis Imperia diuinitus & instituta & armata esse.

Tertia

Tertia uirtus est Temperantia, quæ  
multarum aliarū nutrix est, modestiæ  
& castitatis. Inquit enim Homerus  
lac fuisse potum illius antiquæ gentis,  
cum Thraces uicini uituperentur pro-  
pter temulentiam. Et Strabo recitat  
Posidonij testimonia de castitate Mys-  
sorum & Getarum, ac nominatim in-  
quit apud Menandrum uituperari ab  
eis polygamiam.

In Argonautico carmine scribitur  
amanter exceptos esse in Mysia græ-  
cos duces, & rursus nauim ibi instru-  
ctam frumento, carnibus, uino.

Fuit igitur in illa gente intellectus  
honestorum officiorum & disciplina,  
quare & ipsam à generosa stirpe quæ  
uirtutem intellexit & coluit, ortam esse  
consentaneum est. Narrat autem Ari-  
anus in Bithynicis, duos fuisse filios  
Phinei Mysum & Thynum, & ab al-  
tero Mysos, ab altero Bithynos procre-  
atos esse. Ac fuisse in littore Helles-  
ponti senem uatem Phinea manifestū  
est ex

est ex Argonautico carmine, qui etiam  
ampli non fuit pater illarum gentium,  
tamen sapientiam de motibus coelestibus,  
de Physicis causis mutationum in  
corporibus, de remedijs morborum,  
de Deo & de iusticia, ex Phoenicia seu  
ex Tyro & Sidone in illam Asiae oram  
intulit. Natum enim esse Phinea in  
Tyro aut Sidone omnes affirmant, &  
aliqui fratrem fuisse Cephei scribunt,  
a quo quia doctrinam de motibus coe-  
lestibus propagavit, sidus quoddam  
appellatum est. Scitis autem vetustis-  
simam sapientiae possessionem, de Deo,  
de iusticia, de motibus coelestibus, &  
de natura rerum fuisse apud Phoeni-  
ces, Sidonios & Tyrios & horum vi-  
cinos, acceptam a primis patribus a  
Noah & eius filijs & nepotibus, qui-  
bus Deus certo consilio illam oppor-  
tunam sedem attribuit, ut eorum do-  
ctrina late ad ortum & ad occasum pro-  
pagari posset. Siue igitur a Phineo ac-  
cepta est sapientia, siue a vicinis Ioni-  
bus, qui doctrina & omnibus artibus  
excellus



excelluerunt, cum essent hæredes sapientiae Iaphet, uetustæ res Mysorum ostendunt eos disciplina uicinis antecelluisse.

Cum ueterum Mysorum talis fuerit uirtus, & nomen & lingua conueniant cum hac gente quæ ad Albim confedit, cognationem non aspernandam esse existimo. Si cui autem hæc coniecturæ non placent, quæ tamen ingeniosissimo & doctissimo uiro Philoni Dresdensi placebant, nõ pugnamus de hac nostra opinione, & ostendi nobis certiozem originem petimus. Exempla uirtutum tamen sumere hanc gentem à ueteribus Mysis, & delectari eam societate nominis honestæ nationis sinant.

Nunc de hac uestra patria dicendum est. Sunt autem in regionum & gentium laudibus gradus. Non contemnenda est loci natura seu ubertas. Est enim Dei donum, & hoc genus humanarum

manum conditum est, ut multis rebus  
indigeat, quia uult Deus multa esse  
prouidentiae testimonia & diuersis of-  
ficijs & artibus, tanquam uinculis ho-  
minum societatem astrictam esse. De-  
inde ornamenta sunt regionis urbes,  
& aedificiorum ars & elegantia, quae  
etiam hominum ingenia & uitae con-  
suetudinem aliqua ex parte ostendunt.  
Tertia & uera laus est pia Ecclesiarum  
constitutio, iusta forma gubernatio-  
nis & politica disciplina. Vult enim  
Deus Ecclesiam, cui in tota aeternita-  
te communicabit suam sapientiam, ius-  
ticiam & laeticiam, hoc modo & non  
aliter colligere, Videlicet uoce Euan-  
gelij, qua uult hominum mentes in hac  
imbecilli & mortali uita ad agnitioem  
Mediatoris flecti, & haurire initia uita  
eternae. Nec uero sine literis & sine  
linguarum & artium cognitione pro-  
pagari doctrina potest. Sunt igitur  
haec summa opera in gubernatione ho-  
minum, uocem Euangelij incorruptam  
proponere & conseruare doctrinae stu-  
dia,

clia, ad hoc summum bonum alij labo-  
res in uita referantur, & sint Imperia  
politica Dei hospitia & muri Ecclesia-  
rum. Hos gradus bonorum in confi-  
deratione regionum & gentium intel-  
ligamus & recte discernamus. Sic .n.  
uita hominum à Deo ordinata est, ut  
Nutricatio, Oeconomia, & guberna-  
tio politica referantur ad hoc summū  
bonum, uidelicet, ad piā Ecclesia-  
rum constitutionem.

Redeo autem ad eum gradum  
quem initio nominavi. Dei beneficio  
montes ad basim trianguli, aliquot mi-  
liaribus uenas habent, gignentes cum  
alia metalla ferrum, plumbum, stannū,  
tum uero plurimum argenti. Multa  
sunt autem naturæ miracula, ubicunq;  
sunt uenæ metallicæ, & sine magna ua-  
rietate artium, & machinarum ex ter-  
ra erui & percoqui non possunt. Qua-  
re facile intelligi potest, multos in ijs  
locis esse ingeniosos artifices, multos  
etiam qui regunt opificum manus co-  
gnitione

C

gnitione

gnitione Arithmetices & Geometriæ,  
multos item qui naturam rerum in ter  
ra nascentium diligenter contemplan-  
tur, ut eas ad usum in medicatione  
transferant.

Fuerunt in Macedonia uenæ cele-  
bres, in eo loco ubi urbs fuit Philippi,  
olim nuncupata Dathos, item Crenæ.  
Harum uenarum prouentus annuus  
fuit sexies centum millia coronatorū,  
ut nostro more loquar. Fuisse autem  
aliquando uberiores uenas Fribergen-  
ses & Snebergenses, manifesta testis-  
monia extant.

Iam hic dicendum esset de causis  
metallorum & generatione uariarum  
specierum, & de natura hydrargyri,  
quod sentio singularem speciem esse,  
à Deo sic conditam, ut sit metallorum  
semen, & hallucinari eos qui non cer-  
ta lege, sed casu cōfluere illam massam  
existimant, ut fulmina seu alia mixta  
imperfecta. Sed rota Philosophia de  
metallorum origine, generatione, co-  
ctione,

tionē, differentijs ne quidem magnis  
uoluminibus exponi potest, & gratia  
habenda est uiro doctissimo Georgio  
Agricolæ, cuius extant libri de metal-  
lis copiose scripti, quibus & patriam  
ornat, & uniuersam posteritatem de  
his mirandis naturæ operibus, ita do-  
cet, ut in hoc genere tam luculenta  
scripta nulla fuisse existinem.

Reliqua Mysia cū paululum uersus  
septentrionem progredimur, tota fe-  
rax est tritici & olyræ & aliorum fru-  
mentorum, & in multis locis gignit  
uinum & crocum. Est & distincta a-  
gris, pratis, fluminibus, syluis, ac re-  
rum quæ ad uictum homini conueni-  
entem necessariæ sunt copia tanta est,  
ut etiam delectus & mundicies seruari  
possit. Hæc de terræ natura primum  
commemorauī, ut grati munera diuis-  
na agnoscamus, & cogitemus sine  
hac, ut ita dicam, nutritione, cætera  
bona haberi non potuisse.

C ij

Cum

Cum igitur terra foecunda sit, & frumento & metallis abundet, magna est in ea multitudo hominum, urbes multae, aliae alijs maiores & ornatiores, arces & pagi plurimi. Elegantia uero aedificiorum tanta, ut plerasque Germaniae partes hac laude superet. Hoc decus multas uirtutes complectitur, Nam ubi cura est recte aedificandi, ibi necesse est & multarum artium artifices esse, & naturas hominum dociles. Deinde per sese uirtus est intelligere et amare ordinem & elegantiam in aedificando. Non enim iam de luxu aut immodico splendore loquor, qui non potest esse multorum, sed de communi mediocrium hominum consuetudine, qui in omnibus oppidis in hac regione plus adhibent artis in aedificando, quam in plerisque alijs Germaniae partibus. Est autem iusticia quaedam ualetudini seruire, quam ad rem opus est distincta esse habitacula puerperarum, aegrotorum, turbae domesticae, Deinde prudentia est distinguere loca suppel-

supellectili & cæteris rebus. Non in  
ijsdem habitaculis, panni, uestes, fru-  
mentũ, uina seruari possunt, aut si quis  
nauticam uitam probat, aut Amaxo-  
biorum cõsuetudinem, qui totam rem  
familiarem in plaustris uehunt, ubi di-  
stingui non possunt, stabula, focus,  
cubicula, is gryllo similis est, qui à Cir-  
ce in porcum mutatus recipere homi-  
nis figuram noluit.

Tertia pars orationis est de natu-  
ris, ingenijs, & moribus hominum,  
hæc enim præcipue cõsideranda sunt,  
sicut & Homerus monuit, qui Vlyse-  
sem ait non tantum urbes multas uis-  
disse, sed etiam iudicia & mores co-  
gnouisse, Profunt enim exempla ad  
cõmonefactionem de multis magnis  
rebus. Figuræ corporum non defor-  
mes, non horridæ sunt, & ingenia sunt  
ad disciplinam, ad uirtutem, ad doctri-  
nas, & ad alias honestas artes idonea.  
Summum autem bonum est in socie-  
tate hominum, uera Dei agnitio, quæ

C iij      ut in

ut in hac regione luceat, Dei beneficio Ecclesiae recte constitutae sunt, & sonant Euangelij vocem sine corruptelis, & sine dissidijs, & in congressibus publicis magna frequentia est hominum modeste conuenientium ad conciones, & ad communem precati-  
onem.

Ac ubique in oppidis adiunctae sunt Ecclesijs scholae literarum, in quibus adolescentia discit summam doctrinae Christianae, latinam & graecam linguam, & iuniores recitant κατήχησις ad uerbum, ut assuefiant ad agnitionem & inuocationem Dei, & ad honestos & pios mores. Sunt & iudicia Ecclesiastica constituta, ut pastores regantur & defendantur, & ut doctrinae puritas & sanctitas coniugiorum conseruentur. Et quia Ecclesijs & gubernationi ciuili opus est multarum linguarum, & artium scientia, & lumen uitae est uera doctrina de Deo, & de natura rerum: Lipsica Academia ita constituta est, ut lingua latina, graeca & Ebraea recte & fideliter



fideliter hic doceantur. Præterea ordine  
libri Prophetici & Apostolici enarran-  
tur, & assidue repetitur integra doctri-  
na Ecclesiæ Dei comprehensa in libris  
Prophetarum & Apostolorum, & in  
Symbolis Apostolico, Niceno, & A-  
thanasiano, & in confessione Lutheri.  
Hunc perpetuum consensum Catho-  
licæ Ecclesiæ Dei, Academia uniuersa  
piè amplectitur, & fideliter tuetur, ut  
libri qui hic eduntur ostendunt.

Sunt hic & legum ciuiliū inter-  
pretes, eruditione & sapientia excellen-  
tes, quorum consilijs & sententijs iu-  
dicia in multis gentibus reguntur.  
Sunt & artis Medicæ Doctores uiri  
eruditissimi, quorum & in medendo,  
& in docendo celebratur eruditio &  
fides. Traduntur et iunioribus partes  
Philosophiæ omnes, fueruntq; olim  
studia Mathematicum hic tanta, ut inde  
in alias regiones propagata sint, didi-  
cerunt hic initia Mathematicum Regio-  
montanus, Hasfurdus, Schonerus,  
C iij. quorum

quorum nomina nota sunt, Et docuit  
hic Alexander qui & edidit enarratio-  
nem demonstrationum Geometrica-  
rum, ex quibus magnam partem Dia-  
lectices & Physices Aristoteles extru-  
xit. Ac peperit ipsa Mysia duos in hoc  
genere doctrinae excellentes, Petrum  
Apianum, & Iohannem Pfeil, quem  
nominant amici Philonem, quia pro-  
pter amplissimam eruditionem confe-  
runt eum ad ueterem Philonem, de  
quo dictum fuit ἢ ἑλῶν πλατωνίζει, ἢ  
πλάτων φιλωνίζει. Id ad hunc nostrum  
non minus congruit, quam ad illum.  
Etsi enim non est meum de summis  
uiris iudicare, tamen existimo eum  
antecelluisse eruditione in tota Philo-  
sophia omnibus, quorum eruditio hoc  
seculo celebratur.

Non volui hoc loco Catalogum  
instituere clarorum uirorum, qui in hac  
Academia floruerunt, & qui consilijs  
suis patriam rexerunt. Nam forma gu-  
bernationis iusta & moderata & iudi-  
ciorum

ciorum constitutio ostendunt fuisse et esse non solum ingeniosos, & usu peritos gubernatores, sed etiam eruditos. Tantum de ijs dicam, qui primi cum aliqua celebritate linguas docuerunt Ecclesiæ necessarias, & eas late propagauerunt. Bernardus Ciglerus natus in familia Equestri huius gentis, cum linguæ Hebrææ magnum usum haberet, non solum huius ætatis studijs in ea lingua, sed etiam posteritati profuit. Græcam linguam ante annos triginta sex Crocus Britannus, qui Alean- drum Lutetiæ audierat, hic frequenti auditorio docuit, hunc secutus est Petrus Mosellanus, cuius oratio Xenophonteam firauitatem referebat. Nunc Ioachimus Camerarius, qui Croci auditor fuit, græcæ linguæ studia hic regit, qui cum omni genere uirtutum excellit, tum uero cognitionem & usum Græcæ linguæ tantum habet, ut non Athenæ ueteres tam sint Atticæ, quam sunt ipsius scripta.

C v Magnū

Magnum decus est autem & gen-  
tis huius & Academiae, quod in nulla  
regione uiri plures sunt & fuerunt, in  
ordine Equestri nati excellenter docti  
& eloquentes, quam in hac regione.  
Schonbergij, qui fuit Cardinalis & E-  
piscopus Capuanus, eloquentiam,  
etiam ipsa Italia admirata est, qui quid-  
dem Legatus fuit ad tres summos in  
Europa Reges, ad Imperatorem Ca-  
rolum, ad Regem Gallorum Francis-  
cum, & ad Regem Angliae Henri-  
ricum. Nunc quoque ut audio doctos  
iudicare, nullius oratio latina, omnium  
qui nunc quidem scripta edunt in Ita-  
lia aut alibi melior est, quam Iulij Pflu-  
gij, & Christophori Carolouicij. Sunt  
& alij multi, qui nobilitatem generis  
eruditione ornant.

Dixi breuissimè de Ecclesijs & de  
luce doctrinarum. Nunc pauca addam  
de forma gubernationis Politicae. Dei  
beneficio iam annos quadringentos  
huius trianguli gubernatio mansit ea-  
dem,

dem, qua in re & Dei beneficium agnoscendum est, & ipsorum Principum laudanda iusticia & moderatio. Accesserunt Turingia et pars Saxonie & Electorum dignitas, quæ accessio etiam testimonium est uirtutis, & auctoritatis horum Principum. Sed omnia complecti nunc non possum. Familia Principum uetus est, orta ab eadem stirpe, quæ procreauit laudatissimos Imperatores Saxonicos Othones. Cumq; uicinam regionem ad Salam, Muldam & Plisiam diu tenuissent, postea Fridericus Barbarossa Cunrado totam Mysiam gubernandam tradidit, eumq; Marchionem Mysie nominauit, siue id nomen est à *νομαρχία*, ut Sabinus uir ingeniosissimus existimat, siue à limite custodiendo. Inde propagati Principes tenuerunt totum hunc triangulum, quorum semper summa fuit auctoritas, quam nequaquam uoluerunt esse infinitam aut Tyrannicam, sed honestissimis legibus & iudicijs regi. Ac notum est honestissimos

stissimos confessus esse iudicium, qui  
ex ordine Equestri, & ex doctoribus  
delecti, quotannis quater ad cognitio-  
nem controuersiarum totius ditionis  
conueniunt.

Quanta in pace, & in bellis uirtus  
Principum fuerit, multa ostendunt.  
Fridericus qui habuit admorsam ge-  
nam patriam defendit aduersus Bohe-  
mos, Adolphum Nassauensem et Al-  
bertum Austriacum. Cumq; à Mar-  
chione Brandenburgensi captus esset,  
uirtute & fide nobilitatis in hac regio-  
ne, liberatus est. Albertus auus incly-  
ti principis Ducis Electoris Mauricij,  
duobus potentissimis & ferocissimis  
Regibus oppositus est, Carolo gibbo-  
so Regi Gallico, & Mathiæ Regi Pan-  
noniæ, ac longo bello Gallos ex Flan-  
dria eiecit, postea & Mathiam depulit  
ab obsidione urbis Austriacæ, cui no-  
men est Neapolis, & hac pugna re-  
pressus Mathias longius in Germani-  
am non progressus est. Cumq; Alber-  
tum

tum domestico bello implicare cona-  
retur, ac misisset in hanc uiciniam ex-  
ercitum, uirtute Alberti & agnatorum  
patria foeliciter defensa est, & hostes  
pulli & dissipati sunt, & nō solum hæc  
uicinia, sed etiam reliqua Germania  
magno periculo liberata est. Fuitq̃  
Albertus quoad uixit præcipuus Dux  
in hoc imperio, et maximè formidatus  
externis Regibus, & turbulentis Prin-  
cipibus; Sicut Achilles in Græco ex-  
ercitu nominatur uallum Achiuorum.

Possem multa sapienter, iuste, mo-  
deratè facta Principum huius familiæ  
recitare. Sed hæ breues commemora-  
tiones non habent lumen, nisi integræ  
temporum historiae notæ sint, & con-  
sideretur, qualis fuerit in ipsis Princi-  
pibus natura & perpetua uoluntas er-  
ga Rempub: Hoc tamen affirmari po-  
test, hos Principes pro excellenti sua  
sapientia magis adiunxisse se ad Impe-  
ratores, & autoritate sua & opibus ma-  
gis defendisse communem Germaniæ  
salutem,

salutem, quam fecerunt cæteri. Fuit igitur singularis beneuolentia erga eos Friderici Imperatoris Barbarossæ, Friderici Imperatoris secundi, ex cuius filia natus est Fridericus, qui habuit admorsam genam, ac deinde Rodolphi, Henrici Lucelbergensis, Caroli quarti, Sigismundi, Friderici Austriaci & Maximiliani. Horum præstantissimorum Regum amiciciam, illustre testimonium esse de sapientia & uirtute horum Principum satis intelligi potest. Nec uero fieri potest, quin boni Principes habeant adiunctos uiros sapientes & bonos in consilijs, & quin uita eorum censura sit multorum in populo, ut dicitur.

*Sic agitur censura, & sic exempla parantur,  
Cum iudex alios quod monet ipse facit.*

Cumq; in toto genere humano semper immota gubernationis norma esse debeat, Decalogus recte intellectus, & Deus Magistratum uelit esse vocem & custodem huius suæ æternæ legis,



legis, sequuntur hanc ueram normam  
& in hac tota regione Magistratus,  
præcipiunt ut populi mores congru-  
ant ad præcepta Dei, & puniunt con-  
tumaces. Pie defendunt Ecclesias, ne  
uera Dei inuocatio extinguatur & pel-  
lunt homines qui aut Idola defendunt,  
aut Cyclopice sermonibus Deum cõ-  
tumelia adficiunt, aut falsis opinionibus  
Ecclesiarum consensum turbant.  
Puniuntur Latrocinia & seditiones,  
Defenduntur legitima Coniugia, ac  
seuere puniuntur adulteri, & contami-  
nati incestis libidinibus. Nec tolera-  
tur publice consuetudo cum ulla, cum  
qua non est fœdus coniugale Ecclesiæ  
testimonio factum. Puniuntur & fur-  
res & alij qui fidem pactorum in con-  
tractibus non seruant.

Quia uero naturæ hominum pla-  
cidæ sunt, & ad agnitionem & inuoca-  
tionem Dei, & ad bonos mores uo-  
ce Ecclesiæ, & disciplina domestica, &  
exemplis poenarum publicarum ad-  
suescunt,

suasiunt, minus est contumaciæ & scelerum. Est autem disciplina domestica in urbibus eo melior, quia plurimi ciues ut nusquam alibi, norunt utcunq; literas, & domi sacros libros legunt, & filios ac filias doceri literas curant, & magno studio suos ad reuerentiam publici ministerij Euangelici, & ad pias preces adsuafaciunt. Vbiq; in singulorum mediocrium ciuium ædibus, inter ornamenta præcipua conspiciuntur libri sacri, historiæ Monarchiarum, picturæ continentes argumenta utilia ad commonefactionem sumpta ex historijs. Vbiq; recitant pueri mane, & ad mensam preces & pias sententijs, & admonentur, singulas familias debere esse Ecclesias & templa Dei, in quibus uelit Deus habitare, & sic fieri eas domicilia Dei & Ecclesias, in quib. certo habitet Deus, quas seruet, protegat, & gubernet, cū discunt familiæ Euangelij doctrinam, & recte Deum inuocant fiducia Mediatoris, & mores regunt iuxta diuinā doctrinā

doctrinam, seque ad communem uerae  
Ecclesiae societatem adiungunt, & con-  
seruationem publici ministerij Euan-  
gelici adiuuant. In tali coetu adesse  
Deum protectorem et gubernatorem,  
adfirmat filius Dei, cum ait, Siquis di-  
ligit me, sermonem meum seruabit,  
& Pater meus diliget eum, & ad eum  
ueniemus, & mansionem apud eum  
faciemus.

Manifestum est & mundicie hanc  
gentem antecellere alijs Germanis,  
quae & ipsa per sese est uirtus, posita in  
delectu rerum naturae conuenientium,  
& ordinis conseruatione, & nutrix est  
multarum aliarum uirtutum, sedulita-  
tis & frugalitatis. Excitat enim curam  
res naturae conuenientes eligendi &  
tuendi, & praebet assiduas operas cum  
ornantur domus, lecti, uestes, & reli-  
qua supellex. Ingens uero decus in  
hac domestica consuetudine est, ma-  
tronarum modestia, quae oeconomiam  
praecipue gubernant, & earum exem-

D            pla

pla filiae intuentes, & ad agnitionem  
Dei, ad bonos mores, & ad scientiam  
oeconomicam adsuefiunt.

Signum & hoc est in hac natione,  
& diligentiae in tuenda uita ciuium, &  
amoris erga honestas artes, quod in  
singulis urbibus maioribus publica sti-  
pendia Physicis medicis dantur, quo-  
rum excellens est eruditio in graeca &  
latina lingua, & tota Philosophia, ut  
res ostendit, quia multi editis monu-  
mentis studia doctrinarum iuuant, &  
patriam ornant. Notissimi sunt enim  
libri Georgij Agricolae, & Iani Corna-  
rij etiam exteris nationibus.

Hac de patria uestra auditores bo-  
no studio dixi, non solum ut me hospite-  
m gratum esse intelligatis, Sed multo  
magis ut uos adhorter, ut consideran-  
tes ornamenta patrie, Deum ardentio-  
ribus votis oretis ut ea conseruet, Vera  
est enim vox, Nisi Dominus custodi-  
erit ciuitatem, frustra uigilat qui cu-  
stodit eam, Deinde ut singuli suo loco  
pareant

pareant patriæ tanquam dulcissimæ  
 matri, à qua uictum, leges, discipline,  
 religionis, literarum & artium intelle-  
 ctum acceperunt, & hoc foedere obli-  
 gati sunt ei, ut eadem bona posteris  
 tradant. Accedat & diligentia in ca-  
 uendis occasionibus dissensionum &  
 ciuilium motuum. Nemo turbet pa-  
 triæ tranquillitatem priuatis cupidita-  
 tibus, ambitione, odijs, curiositate, ne  
 tam multis Dei donis ornata regio fiat  
 μυσῶν λείαν, ut olim dicebatur. Quare  
 & pijs precibus apud Deū, & omnib.  
 honestis officijs iuuare patriam studeas-  
 tis, et unusquisq; tali sit animo erga eam,  
 ut uere de se prædicare possit idem quod  
 Erechthei Coniunx inquit, cum pati-  
 tur filiam fieri uictimam pro ciuitatis  
 Atticæ salute, ut tunc putabatur.

ὦ πατρίε εἴθε πάντες οἱ ναίουσι σε  
 οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγὼ, καὶ γε ραδίως  
 οἰκοῖμεν ἅμ σε, ἢ οὐδὲν ἅμ παχοῖς κακῶν.

D ij

Oro

Oro autem filium Dei, Dominum  
nostrum Iesum Christum crucifixum  
pro nobis & resuscitatum, custodem  
Ecclesiae suae, & ut semper in hac regi-  
one sibi colligat aeternam Ecclesiam,  
nec extingui in ea lucem Euangelij &  
honestarum artium, nec deleri disci-  
plinam sinat, & ut totius regionis  
Principes, gubernatores, po-  
pulum & urbes, & cate-  
ra hospitia clementer  
gubernet & pro-  
tegat.

DIXI.

1553.

18. Ian.

Quaestio,



# QVAESTIO MARTINI Makenrot Islebiensis.

**R**ITVS scholastici qui exercitia  
Rutilia continent, & amandi & con-  
seruandi sunt. Quare uos oro, ut mihi  
ueniam detis, quod in tanta frequen-  
tia doctissimorum hominum aliquid  
dicere institui. Non. n. fiducia ingenij,  
sed ut honestæ cōsuetudini obediam,  
hic usitato more aliquid disputabo. Et  
à vobis reuerenter & amanter peto, ut  
me non grauatim audiatis, præsertim  
cum dulcissima sit consideratio huius  
quæstionis quam propono. Est au-  
tem hæc Quæstio.

Quare filius Dei promissus Patri-  
bus in vaticinio Iacob, quod extat in  
fine primi libri Moisi, nominetur Si-  
loh, ubi scriptum est, Non auferetur  
Sceptrum à Iuda, & Dux à pedibus  
eius donec ueniet Siloh, & ad ipsum  
fiet congregatio gentium ?

Cum non dubium sit hanc senten-  
tiam de Messia concionari, quia di-  
cit futuram esse congregationem gen-  
tium

D iij tium

atum ad ipsum, seu obedientiam gentium erga ipsum, tamen præstigiatores Iudei scelerate corrumpunt totum uaticinium, nec accomodant ad Messiam, nec consolationem retinent. Alij enim Siloh interpretatur Saulem esse, alij, Ieroboam, alij Nabogdonosor. Harum interpretatiõum omnium manifesta est & uanitas et insulfitas. Nec longa refutatione opus est. Nulla est facta gentium salutaris congregatio ad Deum per hos Reges.

Nec Hieronymi interpretatio Grammatica est, qui sic reddidit Ebream lectionem, Donec ueniet qui mittendus est, Inserit enim alienam litteram in uerbum Siloh.

Græci longius recesserunt à fonte, qui enarrant, ἀποκείμενα, quasi dicas reposita bona, de quibus traditæ sunt promissiones Patribus.

Cum autem hæ interpretationes peregrinæ sint, simplex intellectus uocabuli aliam offert, quæ non gignit  
multas



multas disputationes. Siloh significat  
faustum seu foelicem. Adfirmat ergo  
Messiam talem fore, qui redditurus sit  
miserrimo generi humano ueram foeli-  
licitatem, aeternam uitam & iusticiam,  
qui unus foeliciter superaturus sit dia-  
bolorum potentiam, & collecturus  
Deo Ecclesiam, sicut hic dicitur, Fu-  
turam esse congregationem populo-  
rum, scilicet Ecclesiam, cui in omni  
aeternitate Deus communicabit suam  
lucem, sapientiam, iusticiam, & laeti-  
ciam. Existimo etiam has appellatio-  
nes latinas, Salus & salue, ab Ebreis  
origine ortas esse, ut Prouerbiorum  
primo legimus שלוה & passim haec  
vox obuia est.

Veteres Ebrei ex Etymologia vo-  
cabuli aliam interpretationem sumpse-  
runt. Vt enim in prima promissione  
dicitur, Semen mulieris conteret ca-  
put Serpentis, ita hic aiunt tecte si-  
gnificari filium foeminae. Nam ל"ו  
significat pelliculam, quae ambit foetum  
in aluo matris, quae pellicula graecis

D iij nomia

nominatur  $\chi\acute{o}\sigma\iota\omicron\upsilon\pi$ . Additus est autem in fine articulus generis foemini, ut foetus intelligatur non ex uirili semine ortus, sed ex matre uirgine natus, sicut diserte dictum est. Semen mulieris. Hæc non à nobis conficta est interpretatio, sed habet autores ueteres Ebraeos. Cum autem foetum dicere uellet, usus est uerbo significante pellem maxime fragilem, ut significaretur passio huius Redemptoris. Qualis pellicula est filius Dei sudans sanguinem in agone, & deinde pendens in cruce uulneratus & laceratus. Hæc ingens infirmitas significata est, Quæ tamen sustentatur, quia unita est diuinæ naturæ, & in ea Deus est  $\sigma\omega\mu\alpha\lambda\upsilon\kappa\omega\varsigma$ .

Adspicientes autem & hanc laceratam pelliculam, & postea ex hac fragilitate exuscitatam ad æternam gloriam, de nobis quoq; cogitemus. Nos uere & re ipsa sumus sordida et cruenta  $\chi\acute{o}\sigma\iota\omicron\upsilon\alpha$  contaminati peccato, rei mortis, lacerati horrendis doloribus.

Has

Has miseras ut à nobis auferat filius  
Dei similem pelliculam nostræ carni  
adsumpsit, & pro nobis uictima factus  
est, & quia est λόγος æterni Patris, nos  
Euangelio suo uiuificat, & gestat nos  
uelut de ceruice sua pendentes, cum  
sit os ex ossibus nostris, & caro de car  
ne nostra.

Cum autem hæc Etymologia de  
foetu amplissimam & dulcissimam do  
ctrinam contineat, non aspernanda  
est, præsertim cum habeat testes uete  
res. Et cum profit omnibus notissi  
mam esse sententiam Iacob, & dulcis  
simum sit tenere interpretationes con  
cinnas uocabulorum, defero hanc  
quæstionem ad Reuerendum  
uirum Doctorem Geor  
gium Maiorem, &  
peto ut propter  
iuniores audi  
tores, co  
piosius de ea dicat.

DIXI.

D v

Respon

RESPONSIO GEOR-  
gij Maioris Doctoris  
Theologiae.

**V**ERA, simplex & nativa sententia huius dicti, quam in Ecclesia notam esse oportet, continet amplissimam doctrinam & dulcissimas consolationes. Nec uero breuiter dici potest de his maximis rebus, quare constituta sit Politia Mosaica, quam dulce beneficium Dei fuerit, habere Ecclesiam certum hospitium in genere humano, & certam doctrinae sedem, ornatam illustribus testimonijs à Deo, uictorijs, & mirandis factis Prophetarum, deinde quare hæc pulcherrima politia, manifesta Dei voce constituta, cum durasset mille octingentos & duos annos funditus deleta sit, quid intersit inter pedagogiam Legis, & iusticiam æternam ut Daniel nominat, quare Redemptor nominetur S<sup>i</sup>loh, Harum tantarum rerum explanationi alia tempora tribuenda sunt.

Nunc

Nundū tantum cōmonefactionem re-  
citabo de deprauatione huius dicti,  
quæ horrendos furores apud Iudeos  
peperit. Cum iam annos sexaginta ab  
excidio postremo Ierofolymæ, urbis  
um cineres, & rudera *ἡγὴ ἐρείπια* testi-  
monium dicerent, finem esse politia  
Iudaicæ, & scirent Iudei Haggeum  
prædixisse Redemptorem in illo ipso  
templo cōcionaturum esse, quod post  
reditum ex Babylone extructum erat,  
& Iacob ac Daniele prædixisse, po-  
stea finem politia Iudaicæ futurum  
esse, & miranda facta Apostolorum  
testarentur Redemptorem exhibitum  
esse, tamen in magna multitudine Iu-  
deorum tanta fuit peruersitas & perti-  
nacia ut fingerent politiam Iudaicam  
perpetuam fore, & eius restituendæ  
causa horribilem seditionem Adriani  
Imperatoris tempore mouerent colle-  
cto exercitu trecentorum millium ho-  
minum ex fugitiuis & seditiosis Iude-  
is. Dux huius multitudinis fuit homo  
furiosus, qui præcipue in Christianos  
magnam

magnam crudelitatem exercuit, qui sibi nomen tribuit Ben cochab, id est, filius stellæ, Nam ut autoritatem auge-  
ret, detorquebat ad sese uaticinium,  
Orietur stella ex Iacob. Postquam ue-  
ro tristis euentus ostendit imposto-  
rem fuisse, nominatus est à Scriptori-  
bus, Ben Cosbe, id est, filius menda-  
cij.

Cum autem hæc sediciosa multi-  
tudo Iudeorum Palestinam & Syriam  
uicinam popularetur, Adrianus Im-  
perator aliquot prælijs eam dissipauit,  
in quibus tamen & magna cedes Ro-  
manorum militum facta est. Postea  
reliquiæ confugerunt in oppidum Bi-  
theram, ut Scriptores Iudaici nomi-  
nant, qui quidem & uicinam esse di-  
cunt Ierosolymæ, quare ego Bethho-  
ron esse existimo, quæ fuit in limite  
fortis Ephraim, & quondam à Salo-  
mone munita fuerat. In id oppidum  
inclusus Dux cum parte copiarum to-  
to triennio & sex mensibus obsidio-  
nem tolerauit. Tandem consumpto  
exercitu,

exercitu, partim in eruptionibus, partim pestilentia & fame, oppidum expugnatum est, & Dux sibi ipse mortem consciuit, & qui reliqui erant, interfecti sunt. Hic fuit exitus crudelissimi Tyranni, qui gloriatus fuerat, se Stellam esse, de qua dicit uaticinium, Orietur stella ex iacob. Tales furores & poenae, comitantur impietatem eorum, qui falsa dogmata spargunt, & ut ea defendant, sibi iudae cohortem adiungunt & seditiones mouent. Nam utraq; Regula iudicij diuini firma est. Non adsumes nomen Dei tui uane, non enim habebit Deus infontem, quicumq; uane nomen eius usurpat. Item, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ac uidit aliquot exempla & nostra aetas, Sertorij seditionem in Sueuia, & Monetarij in Turingia anno 1525. Et deinde furores Anabaptistarum in Vestualia.

His moniti tragicis spectaculis, Primum recte discamus ueram doctrinam, deinde se quisq; intra metas suae  
VOCATIO

uocationis contineat, non corrumpamus ueras sententias præstigijs Sophismatum, sicut Iudei scelerate corrumpunt dictum Iacob in Genesi, quod planissimum est. Fingunt Siloh esse Nabugdonosor, et alia terra mendacia, quæ recitare *δυσφημορ* est. Nos sciamus in ea sententia consolationem ueræ Ecclesiæ dulcissimam propositam esse, ut sciret Deum certo conseruatum esse Politiam in Iuda, donec Redemptor promissus ibi conspiceretur, & testimonia doctrinæ ostenderet, & pro nobis hostia fieret, deinde & prædictum esse finem eius politiæ, & collectionem Ecclesiæ ex gentib. Hanc simplicem & natiuam sententiam firmissime retineamus, et discamus, quid intersit inter Legem & Euangelium, inter æternam iusticiam, & politicum ordinem, & recte agnoscamus hunc Mediatorem & Saluatorem, quem Iacob nominat Siloh, qua uoce Saluatorem significari iudico. Et placet uetus Etymologia Siloh, id est, foetus matris.



tris. Ac foetum sic nominat ab infirma  
fasciola, quæ nominatur  $\chi\acute{o}\gamma\iota\omicron\pi$ . Voluit  
enim significare Iacob filium Dei ad-  
sumpturum esse infirmam pelliculam,  
morituram & horribiles dolores & sen-  
sum iræ Dei toleraturam, quæ tamen  
futura esset uictrix. Agnoscamus au-  
tem nos uere reos & cruentam pellicu-  
lam esse, sed ideo nos seruari, quia fa-  
sciolam nostræ naturæ filius Dei sibi  
copulauit, ac propterea nostras pellicu-  
culas induit & iusticiam & uitam no-  
bis reddit. Sed hæc sæpe alias copio-  
sius declarantur. Oro autem hunc  
ipsum filium uirginis Dominum no-  
strum Iesum Christum, crucifixum  
pro nobis & resuscitatum, ut has fra-  
giles fasciolas, id est, nos ipsos,  
& coetus Ecclesiæ & Scho-  
læ clementer guber-  
net & seruet.

DIXI

ALIA QVAESTIO DE DIS-  
crimine annorum apud di-  
uersas gentes, & eorum  
commoditate.

QVAESTIO SEBASTIANI  
Theodori V Vinshemij.

**N**ON ad inanem ostentationem  
hæc dicendi consuetudo institu-  
ta est, nec ludi tantum pueriles sunt  
hæc scholastica spectacula, sed exerci-  
tia utilia studijs. Ideo & uenire grauif-  
simos uiros in hunc confessum arbi-  
tror, ne mores utiliter instituti abole-  
antur. Quare & nos adolescentes ob-  
temperare consuetudini decet, quæ  
alijs necessitatem dicendi imponit, ali-  
os iubet placide audire. Hęc me cau-  
sa, cum aliquid in hoc honestissimo  
confessu dicere cogat, queso ne me im-  
pudentia mihi sumpsisse has partes,  
existimetis, sed officio adductum esse  
ad dicendum, ut autoritatî præcepto-  
rum & consuetudini morem geram.  
Alias autem de alijs materijs differitur,  
& cum hæc nostra Philosophica studia  
seruire

seruire Ecclesiæ debeant, non intema  
pestium est hic recitare quæstiones,  
quæ aliquid lucis adferunt scriptis Pro  
pheticis. Passim legitur dissimilia fu  
isse spacia annorum apud diuersas gen  
tes. Arcadum annos trimestres fuisse  
narrant. Romuli anno decem tantum  
menses tribuunt. Leguntur & alia absur  
diora. Hæc etsi omnia fabulosa esse ar  
bitror, tamen cõcedamus sane aliquas  
ineruditas gentes, oblitas esse doctri  
nam de anno, traditam à primis Patri  
bus, tamen illud certum est, Patres  
qui Ecclesiæ gubernatores fuerunt,  
annum vocare solitos cursum Solis ab  
æquinoctio uerno, ad eius æquinoctij  
metam reuersi, & id spacium distribu  
isse in duodecim menses Lunares,  
quibus attribuerunt epactas. Hoc ita  
esse historia Nohe testatur, in qua  
mensium ordo recensetur ita, ut appa  
reat duodecim mensibus exactis, an  
num completum esse. Nec arbitror  
sine certo consilio ita scriptam esse an  
notationem mensium & dierum, quibus  
E bus

bus Nohe fuit in Arca, ut duodecim  
Menses dicantur completi, & insuper  
addantur dies decem. Significatum  
est enim Nohe integrum Solis annum  
compleffe in Arca, cum duodecim  
menses Lunares ibi peregerit, & epac-  
ctas decem.

Sit igitur certa hæc sententia sem-  
per apud eruditas gentes anni spaci-  
um, fuisse duodecim menses Lunares,  
& epactas aliquas, quas alij magis, alij  
minus considerate duodecim mensis  
bus addiderunt. Sed illud constat ini-  
tia anni de industria uariata esse.

Certum est Moisi, initium anni esse  
à uerno æquinoctio, hoc est, à nouilun-  
nio, quod proximum fuit æquinoctio,  
seu præcedens, seu sequens, ita tamen  
ut plenilunij dies sequeretur æquino-  
ctium. Et eundem morem fuisse Aeg-  
yptiorum ait Simplicius. Asia fortas-  
sis studio quodam dissentendi incho-  
auit annum ab æquinoctio autumnali,  
Id quoque Iudei recentes nominant an-  
ni initium, Cumque ignorent se à uicini-  
nis,

nis, quibus post dispersionem peramixti fuerunt, hunc morem accepisse, se putant autores esse, & quærunt ex lege testimonia, sed secus intellecta. Rursus ab Aegyptiis & Asiaticis uariarunt Græci, quibus anni initium fuit à solstitio æstiuo. Vnde fuerit studium uariandi nescio, Sed tamen Latini à Græca cōsuetudine discesserunt, & annum à solstitio hyberno inchoarunt.

Hæc uarietas consideratione digna est, & lucem historijs Ecclesiæ, & aliarum gentium adfert. Et diligentia in anni descriptione cognoscenda & retinenda ualde necessaria est. Vult .n. Deus nos scire mundum cœpisse, uult animis retro legi omnia Ecclesiæ tempora, uult seriem historiarum conspici. Horum nihil fieri posset, si anni descriptio certa nulla teneretur. Quare hæc studia amanda & colenda sunt. Cum autem multæ sint in hac re quæstiones, quomodo congruant duodecim menses Lunares ad Solis cursum.

E ij      Quid

Quid differat annus Iulianus, quo  
nunc utimur, à uetere Mosaico. Et  
quæ ratio sit expeditior? Questio-  
nem hanc ad doctissimum uirum M.  
Erasmum Reinhold Salueldensem des-  
fero, & peto explicationem, cur uti-  
lior & expeditior sit ratio Iuliani anni,  
quam Mosaici? Iulianus habet cer-  
tum initij diem in Calendario, Mosaic-  
us certum initij diem non habebat,  
sed uariabatur, ut nouilunium proxi-  
mum æquinoctio. Vagabantur &  
Menses ita ut ex æstiuis penè hyberni  
fierent. Cæterum Mosaicus oculos in  
cœlum rapiebat, iubebat attentius aspi-  
ci non modo Lunam, sed etiam equi-  
noctij tempus, qua in re mira fuit so-  
lertia ueterum in obseruatione umbra-  
rum & lucis, quam diligentiam minuit  
in populo annus Iulianus. Sed te  
rogo doctissime præce-  
ptor, ut hæc copio-  
sius explices.

Responsio.

RESPONSIO M. ERASMI  
Rheinholt Salueldensis.

**E**ST omnino diligentia erudito  
homine digna, antiquas interq̄  
sefe discrepantes, & usu anni Iuliani  
obscuratas anni rationes considerare,  
quas aliæ gentes alias, postquam à pri-  
mis sanctorum Patrum uestigijs dis-  
scelsissent, abiecta doctrinæ diuinitus  
traditæ professione, excogitarunt atq̄  
usurparunt, vel quod nouis delectas-  
rentur atq̄ ingeniosis inuentis, in ea  
præsertim naturæ parte, quæ longius à  
conspectu seposita nostro atq̄ seclusa,  
minus perspici à quouis & peruesti-  
gari potest. Vel potius cum religio-  
ni primæ & antiquissimæ impellente  
diabolo, contraria omnia statuerent,  
ut anni quoq̄ rationem uariatam,  
institutis suis accommodarent, ne  
quid mutuati à populo Dei, aut re-  
tinuisse ex præscripto Dei & dispen-  
satione uiderentur. Nec parum hæc  
ipsa animaduersio collatioq̄ & di-  
cretio

E iij      scretio

secretio, lucis adfert annotatis historia-  
rum.

Prima citra controuersiam & ue-  
rustissima est anni descriptio, nota-  
tioq̄, quam populo Deus ipse suo  
magna sapientia in dies festos & pro-  
festos ex ordine & lege motuum coe-  
lestium distributam tradidit, eaq̄ seri-  
em temporum equabiliter distingui &  
numerari voluit. Congruebat autem  
ad luminis utriusq̄, solis lunęq̄ circui-  
tus et cōuersiones. Inchoabat annum  
populus Dei ab eo interlunio, quod  
uernum equinoctium conseq̄uebatur,  
& de Lunæ tanquam magistræ indica-  
tionibus, de circumuolutionibus eius,  
congressibus cum Sole, recessibus ab  
eo, constitutionibus ex Diametro, in-  
de continua serie ceu fluentia tempora  
in septimanas dirimebat, cum exerci-  
tijs sacris, ceremoniarum tractationi-  
bus & solennium celebrationi festorū,  
tum operis domesticis aptissime con-  
gruentes. Ea in re sapientia expendat̄  
ur autoris.

Ut so



Vt solem Deus conditor annui  
spacii gratissimas uices, quas ὥρας gre-  
ci vocant, efficere ac temperare, & di-  
urna nocturnaq; uariare spacia, collu-  
stratis & completis luce sua terræ par-  
tibus sibi obuersis, reliquis à sese auer-  
sis opacatis: sic de Solis cursu atq; cir-  
cumactu metas annorum constitui &  
definiri, eaque interualla, quæ quibus-  
uis duabus proximis Solis ad idem  
punctum æquinoctij uerni restitutio-  
nibus intercederent, designari obser-  
uarique tanquam ueros iusti spacii an-  
nui limites voluit. His interuallis, ut  
quæ quanquam mutarentur, nunquã  
fallerent tamen, nec tractu progressuq;  
temporis errorem parerent aliquem,  
aut confusionem, seriem annorum  
proprie discreuit Deus. Rursus cum  
Soli Lunam alligasset ea lege, ut ea so-  
lis splendore & lumine ceu recreata,  
toto Zodiaco menstruo spacio obit-  
to, ac peragrato hausti luminis usu-  
ram terris redderet, repetitis iisdem  
eadem lege uicibus continuo: de

E iij Lunæ

Lunæ cursu annua interualla in certos  
uelut fissâ digessit articulos, uitæ &  
actionibus populi conuenientes.  
Cumq; septimanarum distributio pul-  
chre ad lunę φάσεις quadraret, quæ pri-  
mis à coitu diebus curuatur in cornua,  
septimo dimidium profert orbem, de-  
cimoquarto uel circiter pleno orbe  
effulget: non ipsum æquinoctij diem,  
sed illud quod proxime succederet in-  
terlunium anno principium præbere  
uoluit, ut illa uariatione mensura effi-  
gierum, Luna septimanarum uelut ar-  
ticulos intersepiret & designaret. Ve-  
runtamen ne hoc ipsum anni princi-  
pium incertis oberraret sedibus, &  
quatuor anni cardines peruagaretur,  
quod accidisset, si à solo Lunæ motu  
dependisset, ut cæteris gentibus usu  
uenit, inde quod Lunę duodecim cō-  
uersiones à Solis periodo deficiunt,  
dieb. 10. hor: 21. scrupulis primis 11  
secundis 16. tertijs 48. tredecim ean-  
dem superant: diebus 18. horis 15.  
scrupulis primis 45.

Idcirco

Idcirco metas circumdedit, quibus  
id ad æquinoctium uernum tanquam  
certum & conspicuum, minimeq; tam  
subito uarians principium astrinxit,  
quo admonerentur, ut de certis præ-  
stitutisq; Solis circumuolutionib. spa-  
cia periodica distinguerent. Eadem  
rursus de Lunæ circuitibus ad usus pu-  
blicos conuenienter partirentur, & si  
quid deesset à periodi solaris perfecti-  
one, quod collatio ostendebat, exple-  
rent. Hinc apud gentes reliquas, quibus  
in usu fuerunt Lunares anni die-  
rum τῶν ἐπακτῶν καὶ ὑπερβασιουσῶν ori-  
go. Omnino igitur rationem anni  
ueteris in populo Dei ex utriusq; lumi-  
nis cursibus deductam fuisse, atq; com-  
positam existimo, ita ut quant; men-  
ses de Lunæ indicationibus distribue-  
rint, periodos tamen integras Solis  
ad æquinoctij punctum reditu, defini-  
erint, & secundum has periodos an-  
nos numerarint. Cur enim ceu gemi-  
na præfixisset initia? Et quidem cur  
alterum, quod in diem æquinoctij col-  
E v locauit,

locavit, præmisisset alteri Deus, si non  
ad Solis cursum reuocari & redigi an-  
norum periodos voluisset?

Hanc ab æquinoctio uerno anni  
inchoationem & dimensionem, ut an-  
tiquissimam, commodissimam, & cer-  
tissimam Artifices post omnium tem-  
porum sequuti sunt, & retinuerunt.  
Sed cum ea interualla, quæ reductio-  
nem Solis ad idem æquinoctij pun-  
ctum metirentur uariare deprehendis-  
sent, inde, quod inæquali motu in præ-  
cedentia æquinoctiorum puncta pro-  
reptarent anteuertendo stellas inerran-  
tes, Solq; in motu annuo ἀνομαλίαν  
præ se ferret non exiguam, & mutaren-  
tur tum imarum summorumq; absidū  
Solis, seu apogæi & perigæi sedes,  
tum ἐκκεντρότης orbis, cuius motu Sol  
circūueheretur, duo diuersa initia esti-  
mationi & dinumerationi annorū præ-  
finierūt, unum punctū æquinoctij uer-  
ni, alterum inerrantium stellarum ali-  
quā, utpote primam stellam ἀσερίσου  
Arietis

Arietis octauæ sphaeræ, uocaruntq; si-  
dereum spacium temporis, quo Sol ad  
eandem stellam inerrantem orbis sui  
conuersione reuolueretur, Quod spa-  
cium compererunt obseruationibus  
& 365. dies, 15. scrupula prima, 24.  
secunda, 10. tertia: seu horas æquino-  
ctiales sex scrupula prima nouem, se-  
cunda 40. fere complecti: & uix mul-  
tis annis decursis atq; exactis aliquan-  
tulum uariare, & eam tamen uariatio-  
nem exigui esse momenti. τροπικὸν ue-  
ro, uel ἄρονικὸν ἐνιαυτὸν φαινόμενον, uer-  
tentem uel temporalem, uel naturalem  
annum apparentem nominarunt eum,  
quem antea solis per Zodiacum de-  
cursu, reuersioneq; ad idem æquinoctij  
punctum describi ac comprehendere,  
mutationesq; non cōtemnendas pro-  
pmodum annuatim perpeti, hoc est,  
prorogari alias, alias decurtari, ad eum  
tamen modum, ne ultra diei quadran-  
tem supra trecentos sexaginta quin-  
que dies extendatur, diximus. Nec dubito  
huius

huius anni obseruationem, usum, ad  
oque totam rationem à primis primo  
manasse patribus, & exemplo Patrum  
ab artificibus postea magna cura sem-  
per conseruatam fuisse, ut ueris & ius-  
tis spacijs series temporum diuisa pro-  
pagaretur ad posteros Astronomicæ  
doctrinæ causa, cui ad obseruationum  
collationem (quarum certitudine ue-  
ritas doctrinæ nititur) exquisita anno-  
rum præteritorum dimensio maxime  
necessaria est.

Cæterę gentes uero antiquam hanc  
Patrib. usitatam anni notationem et di-  
stributionem pleręq; mutillarunt ac de-  
prauarunt. Constituerunt aliæ alia  
initia, Græci τροπᾶς δεξιᾶς. Romani  
Brumam, autumnale æquinoctium  
Asiatici anni principium fecerunt.  
Aegyptij & Babylonij, quanç principio  
cum populo Dei conuenerunt:  
tamen reliquam totam rationem mu-  
tarunt. Quippe ex solarium tantum  
motuum periodo annum diuariatum  
confla-

conflatumq̄, & eum quidem equabili-  
lem, ac trecentorum sexaginta quinque  
dierum integrorum numero compre-  
hensum in usu habuerunt. Eos qui an-  
nuatim redundant quadrantes, non  
illis ad quos pertinent, annis uertenti-  
bus accensuerunt, nec quarto quouis  
anno exacto in unum collegerunt die-  
em, sed post circumactas 1460. tales  
periodos annuas, in unum coniunxe-  
runt annum totidem dieb. definitum  
Vocaruntq̄ hanc 1461. periodum  
Graeci κυνικὸν ἐνιαυτὸν, à Cane, qui ex-  
oriebatur cum Sole die solsticij, quo  
tempore Olympiades institutæ sunt, à  
quarum initio usq̄ ad anni Iuliani in-  
stauracionem dimidium anni κυνικῶς  
præterierat. Et distribuerunt hunc an-  
num æqualem in duodecim equales  
menses, in quos singulos triginta retu-  
lerunt dies, superfluos quinque anni ter-  
mino ante Mensem Toth annumeras-  
uerunt. Meminit horum mensium in  
Solonis historia Herodotus.

Quandq̄

Quantū autem congruens inter se  
perpetuo dierum anni numerus, ut in  
geniose cogitatus, sic notationibus  
temporum, & in primis condendis  
motuum coelestium canonibus accom-  
modatus fuit, cuius rei studium apud  
Aegyptios præcipue uiguit: tamen in  
æquinoctiorum & solstitiorum con-  
tinua uelut migratione et oberratione,  
aliquid fuit incōmodi. Omnes enim  
anni menses hæc momenta perrepta-  
bant, Quarto quouis anno noua mi-  
gratione ad insequentem traducta die-  
em, & post ante definitam periodum  
pristinam demum sedes recuperabant.

Græci Lunares tantum annos usur-  
parunt, quos solaribus adæquarunt,  
alias alia ratione insertis, annuera-  
tisue ijs diebus, qui deerant, quo equi-  
noctiorum puncta, quæ illo dierum à  
periodis solaribus defectu sedibus eie-  
cta suis longius annuatim à principio  
dimouebantur, (ea inquam) quo re-  
tractu restituerent suis locis, à Leo-  
strato



strato Tenedio δικτοετηρίδα habebant,  
Cuius instituti ea fuit ratio, ut cum ad  
annos octo, tres menses adiungeren-  
tur, præter eum diem, quem cuius o-  
lympiadi adijcere consueverant, redi-  
rent propemodum ad easdem sedes  
æquinoctia. Menses ἐμβόλιμοι voca-  
bantur, Annorum uero octo, qui dua-  
as constituiebant olympiades, priores  
quinque duodecim menses, seu 354.  
dies, reliqui tres tredecim seu 384.  
habebant dies. Post secutus Meton  
cum accuratius exploratis & collatis  
motibus errorem in octoeteride anim-  
aduertisset, & 19. annis solarib. men-  
ses synodicos 235. compleri perce-  
pisset, octoeteride abolita ἐννεαδεκάτη-  
ρίδα proposuit circa 87. olympiadem,  
Qua ad nouendecim annos Lunares  
septem Mensibus accomodatis, quo-  
rum sex triginta constarent diebus,  
septimus uno minus, præter eum di-  
em, qui ad quamque olympiadem  
ex instituto ueteri accedebat, adeo  
prope hos ipsos solaribus exequauit,  
ut non

ut non multo plus hora una & triente  
deficerent. Etenim 235. Menses, dies  
continent 6939. horas 18. Post Me  
tonem Calippus quatuor  $\epsilon\nu\nu\epsilon\alpha\delta\epsilon\kappa\alpha\tau\eta\gamma\iota\zeta$   
 $\delta\alpha\varsigma$  complexus, eam periodum à se  
calippicam nominauit, quam à sexto  
ante Alexandri obitum anno inchoa  
uit, quod eo Babylonem Alexander  
cepisset.

Romanis ante Iulium Lunares an  
ni Græcorum more in usu fuerunt.  
Iulius Aegyptio & Græco collatis, ex  
utroq; examinato, & adsumptis ex u  
troq; quæ suo conuenire instituto uisa  
sunt, annum conflauit Iulianum nun  
cupatum, quem 365. diebus, & qua  
drante definitum ad solis cursum dire  
xit. Eo adhuc hodie utitur Christianus  
orbis totus.

His de differentijs annorum præ  
missis, uenio ad Quæstionem. Vtri  
usq; anni & Iudaici ueteris & Iuliani  
rationem ualde probo. Nec fuit in  
certum Iudaici anni initium, cum ad  
æquino

æquinoctij Verni momentum fuerit  
alligatum, sed excitauit atq; erexit animas  
mos ad contemplationem & notationem  
nem accuratam cœlestium motuum,  
& diligentem uerarum anni metarum  
designationem. Necessaria fuit æqui-  
noctij obseruatio animaduersioq;, ut  
de interlunio sequenti constitui posset,  
& pertinebat ea cura ad Sacerdotes.  
Habuit autem hoc commodi annus  
Iudaicus, quod luminis utriusq; motus  
complexus est periodicos, Et ex utri-  
usq; conuersionibus deducta annua  
spacia, Solaribus, quæ ex reditu Solis  
ad æquinoctium estimabantur, ut dixi,  
seriem temporum, Lunaribus, men-  
ses, operasq; sacras, & œconomicas  
distribuebant, Quas magna sapientia  
in illo populo Deus digesserat in certa  
tempora.

Iuliani anni ratio, quod facilis, ex-  
pedita, & apte constituta ac distribu-  
ta est, imperitorum medetur insciciæ,  
& curam inspiciendi, perquirendiq;  
syderum cursus, atq; attentionem in

F annuis

animis reddit seigniore[m] ac frigidio-  
rem. Verum cum naturalis anni ma-  
gnitudinem, quam Israelitæ sollicite  
scrutabantur, & notabant, superet, fa-  
ctū est, ut æquinoctiorum & solstitio-  
rum tempora retroacta longo inter-  
uallo pristinas sedes præcurrerint, quæ  
ut reuocarentur ac restituerentur, anni  
ratione emendata, Monarchis exem-  
plo Iulij Cæsaris cura esse debebat.  
Est uero anni Iuliani ratio in hac tem-  
porū barbarie, hac morum prauitate,  
& hominum seignitie atq[ue] socordia eo  
potior & commodior, quod anni me-  
tas utcunq[ue], nec usq[ue] adeo multum  
differenti ab obseruationibus discrimi-  
ne, circumscribit, quæ si nouis annua-  
tim notationibus explorandæ essent,  
uix unquam recte constituerentur, se-  
quereturq[ue] foeda temporum confusio.  
Vix unus enim & item alter in tanto  
reperitur hominum numero, quem  
tangat aut adficiat cura iuuandi, con-  
seruandi, & propagandi ueram de  
Astrorum motibus doctrinam. Pluris-  
mi au-

mi autem ut minime necessariam con-  
temnunt, rident, & explodunt, aut  
ut difficilem auersantur & refugiunt.

Aegyptiaci anni ratio uetus est,  
eam (ut opinor) Astronomi primi  
construendis & propagandis medio-  
rum motuum Canonibus adhibue-  
runt, ut caeteris aptiorem & commo-  
diorem, propter aequalitatem, tum quod  
in aequalem dierum numerum aequa-  
les motus facilius diduci possint, ac di-  
stribui, tum quod alij quilibet anni re-  
solutione dierum facile his expediteq;  
aptentur, ac conformentur. Retinuerunt  
eum annum summi artifices Pto-  
lomaeus, Copernicus, & artificum in-  
stitutis rectius conuenit, quam usui  
publico. Graeca ratio perplexior tota  
& laboriosior fuit & minus certa.

Metonis  $\epsilon\upsilon\nu\epsilon\alpha\delta\epsilon\kappa\alpha\tau\eta\sigma\iota\delta\alpha$  adeo pro-  
barunt artifices, ut Romani a Chaldaeis  
transmissam aureis literis inferendam  
anno Iuliano, usq; nouas Lunas, quae

F ij

ob imo

ob immutatam Mensium rationem  
non amplius Lunæ cursui congrue-  
bant, populo indicandas censue-  
rint. Vnde aurei Numeri tra-  
cta appellatio, qui adhuc  
in Calendario Roma-  
no exprimitur et  
celebratur.

DIXI.

QVAESTIO FILII M.

Pauli Eberi, recitata in renun-  
ciatione Gradus Docto-  
rum, Iohannis à Bert  
VVesaliensis.

**N**ON est nostræ ætatis, causam  
quærere, propter quam sapiens  
antiquitas voluerit pueros in confessu  
tot senum, quorum eximia est erudi-  
tio & grauitas, aliquid dicere, sed ue-  
recunde nos honestis institutis obtem-  
perare decet. Fortassis autem ideo  
huc

huc adducimur, ut intuentes hæc spectacula, statim à teneris discamus honestas artes & nominare & uenerari, Præcipue uero ad Medicæ artis reuerentiam nostra ætas adsuefacienda est, quia multa ab ea beneficia statim postquam in hanc lucem editi sumus, accipimus. Sed omitto causas, tantum vos oro, ut cum sciatis nos non debere defugere auctoritatem Parentum & Legum, me obtemperantem carissimo Patri meo, patienter audiatis.

Propono autem quæstionem de Terræ motu, de qua ut cogitarem, rei inusitatæ admiratio in causa est. Audio .n. hac æstate terribili tremore concussam esse totam oram, inde usq; ab Harcintia ad Dresdã. Cum aut Medicis præcipue in cõsideratione naturæ uersentur, & recens sit hoc prodigium, censui interrogandum esse hunc nouum Doctorem: An sufficientes causæ terræ motuum ostendi possint, & an aliud significant præter effectus

F ij      Physicos

Physicos. Nam de effectu Physico inquit Seneca : Terræ motus adferre di-  
ram luem pecudibus & hominibus,  
Eius effectus etiam difficile est cau-  
sam ostendere. Nam corpora animan-  
tium non mutantur proprie ipso terræ  
tremore. Etsi autem de causis propin-  
quis coniecturæ magis obuiæ sunt, ui-  
delicet, de materia mouente, tamen de  
causa priore, quæ ciet halitus, seu uen-  
tos seu aquam in terræ uiscerib. magna  
est obscuritas. Democritus dixit, a-  
quam in terra inclusam, cū nimio ad-  
fluxu intumescit, concutere terram, &  
coniecturam hanc recitat, quia post  
terræ motum sequi exundationes usi-  
tatum sit, ut bis intra paucos annos eti-  
am in Germania comperimus. Nam  
ante octodecim annos Terræ motum  
in Alpibus, secutæ sunt magnæ exun-  
dationes, & recens in fossas metallicas  
Mansfeldenses passim aqua influxit.  
Et crebri sunt Terræ motus in littori-  
bus. Quodq; Siciliam ab Italia Terræ  
motu auulsam esse narrant, mole aquarum  
rum



rūm factum uidetur, ut Virgilius in-  
quit de Sicilia :

*Hæc loca ui quondam, & uasta conuulsa ruina,  
(Tantum æui longinqua ualet mutare uetustas)  
Dissiliſſe ferunt: cum protinus utraq; tellus  
Vna foret: medio ui pontus, & undis  
Hesperium Siculo latus abſcidit, aruaq; et urbes  
Littore diductas anguſto interluit æſtu.*

Talibus coniecturis motus De-  
mocritus, cauſam ait eſſe aquam. Sed  
opponit alia ſigna Ariſtoteles, ait ru-  
pta terra ſæpe magnos flatus euola-  
re, & eijci flammæ & cinerem, Non  
igitur aqua eſt præcipua cauſa. Nam  
& quieſceret aqua, ſi non aliunde  
agitaretur & inflaretur, nec poſſet  
tanta celeritas eſſe tremoris, ſi tan-  
tum fieret tumefcentibus aquis, &  
ſæpiſſime terra rumperetur. At ſæpe  
non rumpitur in terræ motibus. Tan-  
dem igitur pronunciat, magnam copi-  
am halituum incluſam in terræ cauer-  
nis tanquam uentos ſua ui agitari, &  
agitatione ſpargi per certa loca, quod  
cum fit, loca illa impulſa ui halituum

F iiij tremere

tremere. Constat enim halituum plenam esse terram, & mugitus, qui auditur in terræ motu, signum est volitantium flatuum, sicut inquit Virgilius:

*Sub pedibus mugire solum, iuga celsa moueri.*

Et quia hi halitus terræ meatus patefaciunt, interdum et aqua effunditur, cuius non est tanta copia in magnis montibus, ut potuerit eos concutere. Hæc de causa propinqua rectè dici ab Aristotele fateamur. Sed casu ne tanta copia flatuum in unam regionem incumbit, ut concutere terram possit? Verum est, quod Seneca dicit: Omnis in fuga uentus est, concedamus sua natura halitus volucres & instabiles esse, sed unde tanta copia est, & tantus impetus, ut alias alia loca concutiantur? Hic hærent Physici, & fatendum est, hos tremores prodigia esse, quæ fiunt diuinitus, ad commonefaciendos homines de uenturis poenis. Fortassis & aliqua uis stellarum augentur halitus, & accenditur impetus, ut Aristoteles inquit, Eclipses Solis & Lunæ adferre terræ

terrae motus, adiungo & diras aliquas  
coniunctiones Planetarum. Concur-  
runt enim haec signa, Et simul denun-  
tiant magnas calamitates. Exempla in  
ueteribus historijs ubiq; obuia sunt, Et  
quod Virgilius inquit,

*Insolitis tremuerunt montibus Alpes,*

Idem accidit ante annos octodecim,  
priusquam Carolus duceret exercitum  
in Galliam Narbonensem. Ante an-  
nos septem & uiginti antequam Tur-  
ci Albam graecam ceperunt, toto tri-  
duo uicinia illa tremuit, & multa aedi-  
ficia collapsa sunt. Ante bellum Pello-  
ponnesiacum Laconica adeo terribili-  
ter quassata est terrae motu, ut tota op-  
pida corruerint, & multi homines rui-  
nis oppressi sint. Ante pugnam Leu-  
cetricam biennio Buris & Helice terrae  
motu absorptae sunt. Eutropius scri-  
bit, proximo anno post Pauli Apосто-  
li necē, terrae motu absorptas esse La-  
odiceam & Colossas, in quo exemplo  
& poena conspicitur impiorum, qui  
Pauli doctrinam aspernati fuerant, &

F v

signifi

Significatio futurarum calamitatum  
Asiae uicinae, & seuiciae, quam Domi-  
tianus exercuit in ea ipsa orbis parte,  
cum & Iohannem senem Apostolum  
exulare coegit. Sed plenae sunt histo-  
riae exemplorum.

Nunc clarissime D: Doctor, iam  
ornate honorifico testimonio, à te pe-  
to, ut latius disputes de hac quaestione,  
ac auditoribus exponas, quare luem  
adferant terrae motus. Et quia mini-  
tantur poenas, moueamur proximi ter-  
rae motus recordatione, qui totam or-  
ram ab Harcinia ad Dresdam concus-  
sit, ut excitemus nos ad inuocationem  
Dei, & ad omnia pia exercitia, & pe-  
tamus à filio Dei mitigationem poe-  
narum:

*Te maneat semper seruante Ecclesia Christe,  
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.  
Tres uelut in flamma testes Babylonide seruas,  
Rex ubi praesentem te uidet esse Deum.*

**DIXI.**

## QVAESTIO.

An iuste absolutus sit Anaxilaus  
dedens Bizantium, cū uideret ciues,  
mulieres, infantes, fame interire ?

## RESPONSIO PAULI

Eberi.

**C**VM uagentur poenæ per geñus  
humanum, Ecclesia adsidue petit  
mitigationem, ut Propheta inquit, In  
iudicio me castigato, ne in nihilum re-  
digar. Et libera me à sanguinibus, id  
est, à tragicis supplicijs, qualis exitus  
fuit Saulis, aut Iudæ. Præcipue uero  
petit Ecclesia mentes regi, ne proprijs  
furoribus accersant maiores calamita-  
tes, sicut sæpe magnitudo dolorū ad-  
fert furores, & sapienter ab Ennio di-  
ctum est, æger animus semper errat.  
Ac ut nunc alia multa exempla omit-  
tam, tantum de Monasteriensi furore  
dicam.

Cum Anabaptistæ urbem tene-  
rent, & propter obsidionem, quæ iam  
circiter

circiter biennium durauerat, multi iam fame morerentur, tamē tanta fuit pertinacia, ut deditiōnem facere nollent. Ac similia exempla multa leguntur. Polybius scribit in bello Africano sediciosos ad Tunetum, cum eorum castra ab Amilcare obsiderentur, cōsumptis pecudibus, postea homines captiuos & seruos mandere ausos esse. Et propter atrocitatem rei addit Polybius Epiphonema de causa, τὸ δαιμονίου τῆρ οἰκείαρ ἀμοιβὴν αὐτοῖς ἐπιφέροντ' ἢ τῆ πρὸς θεοῦ πέλαις ἀσεβεία καὶ παρανομία.

Quamquam autem talis pertinacia manifestus furor est, tamen laudantur hæc exempla à Tyrannis, aut alijs natura seuis, & ornantur constantiæ nomine, quæ est uirtus, & est non in scelere perseuerantia, sed in re iusta & necessaria. Quod autem dicitur, Fidem in defensione oppidorū necessariam esse, id uerum est, donec defensio possibilis est sine scelere, sed cum atrocius grassantur defensiones, quam hostes, & gerunt bellum, cum miseris pueris, & ma-

& matribus, quibus irati uictores etiam  
am parcunt, hæc iam nõ defensio, sed  
crudelitas & rabies est. Habent officia  
belli suas metas, lege diuina, & lege  
naturæ sancitas. Recte Scipio, qui nõ  
uoluit alterius sponsam attingere, &  
huius suæ uirtutis fructum tulit, Deus  
enim flexit animos Hispanorum, ut  
tam iusto & casto Imperatori ultro se  
dederent. Cum Rex Alfonsus obli-  
deret Caietam, & ex oppido imbellis  
multitudo mulierum & puerorum em-  
missa esset, quidam suaserunt, ut pos-  
tularerit dedi oppidum hac cõditione,  
nisi dederent, se turbam illam mulierũ  
& puerorum interfectorum esse, Ibi  
sapienter Rex respondit, mihi uero ne-  
quidem uniuersum Regnum Neapo-  
litanum tanti est, ut tali crudelitatis  
specie uincere uelim, ac mox dedit  
mandata, ut illi multitudinĩ parceretur,  
& iussit eã in uicinis oppidis hospita-  
liter excipi. Vicit hæc admiratio iusti-  
ciæ, defensores oppidi, Patres, marit-  
tos, cognatos illius turbæ, cum lacry-  
mantes

mantes de moenibus spectarent hoc  
agmen, & intelligerent Regis iusticia-  
am, ac statim facta est deditio. Hæc  
belli iura consideravit Sparta, cum ab-  
soluit Anaxilaum, qui publice accusa-  
tus fuit, quod Bizantiij deditioem fe-  
cisset.

Cum enim iudices audirent eum  
nō fraude fecisse deditioem, sed mor-  
tum tristi spectaculo multorum fame  
morientium, pronunciarunt eum iuste  
fecisse, quia tantisper defensione uten-  
dum sit, donec bellum est cum hostib.  
non cum ciuibus, & cum natura ho-  
minum. Etsi igitur Persici Reges  
Bogen laudarunt, & posteris premia  
tribuerunt, quod urbem cui præfuerat  
maluisset incendere, & in ea uniuersam  
multitudinem hominum &  
sefe flammis perdere, quam  
facere deditioem, ta-  
men Spartani iudi-  
cij sententia ho-  
nestior est.  
DIXI.





n  
e  
n  
e  
n  
n  
s  
a  
it  
s



16 269 18

Wt




**ULB Halle**

3

003 257 347







~~IV. 37. 37.~~ QK. 4, 3<sup>on</sup>

V b  
269

ORATIO  
SEBASTIANI THEODORICI  
DORI VVINSHEMII RE

citata, cum decerneretur gra-  
dus Magisterij Philoso-  
phici, aliquot hone-  
stis uiris.

Anno 1553.

Adiuncta est & Oratio Iohannis  
Homilij, de Regione &  
gente Myforum.

Item quaestio de adpellatione  
Siloh, ex cap. 49. Gen:  
Et alia quaestio  
de Anno.

VVITEBERGAE.

